

quod in possessione hujus juris fuerit sine contradictione, donec archiepiscopus Bremensis cepit castrum, et quod postmodum homines suburbii ejusdem castri pro eo, quod non venerunt ad synodum suam, excommunicavit. Dicit et, quod dominus episcopus Verdensis baptisavit filium comitis Bernhardi in Sutherem, quem ipse de fonte levavit. Interrogatus de cimiterii consecratione in Campo dicit, quod presens non fuit, sed intellexit ab aliis, quod episcopus Verdensis consecravit, et quod sacerdotes de Otterstide Wichmannus et Meinolfus suis temporibus jus parrochiale in castro et suburbio exercuerunt.“

„Heinricus de Sutherem sacerdos juratus dixit, quod vidit Georgium sacerdotem in Otterstide in duabus casis in Campo sitis jus parrochiale exercere, antequam castrum fundaretur ibi, quod Boberge⁴⁹⁾ dicebatur, et quod eedem case solvebant minorem decimam Verdensi episcopo Isoni. Dicit et, quod Heinricus sacerdos, qui successit predicto sacerdoti Georgio, idem jus habuit in predictis casis, quod habuit alter. Dicit, quod Heinrico successit Hugo sacerdos in Otterstide, qui uxorem Friderici de Boberge, nomine Helenam, in castro Boberge tunc primum edificato visitavit, inunxit et mortuam in ecclesia Otterstide sepelivit, et tam in suburbio quam in castro et casis predictis jus spirituale sine contradictione exercuit. Item dicit, quod Sifridus sacerdos Hugoni in Otterstide successit, sub quo castrum Boberge destructum fuit et iterum reedificatum; idem jus spirituale exercuit, quod suus antecessor. Item dicit, quod Johannes sacerdos Sifrido succedens eodem jure libere usus fuit; postea Wichmannus sacerdos successit eidem in eodem jure; Wichmanno successit Albero sacerdos, qui usus fuit in predictis locis eodem jure; Alberoni successit Heinricus sacerdos in predicto jure; Heinrico successit Meinolfus sacerdos, qui duobus annis, sicut credit, temporibus comitis Bernhardi in predicto castro et suburbio et Campo infirmos visitavit, inunxit et mortuos sepelivit, donec comes Bernhardus quendam Reinardum sacerdotem⁵⁰⁾ capella in castro inbeneficiavit, qui tunc pro tempore in predictis locis jus parrochiale